



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Distinctio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A** Nimiosum alioqui hominem, qui tamen improvise aliqua specie sit exterritus, per Porcum & fugientem Leonem exprimere quorundam inventum fuit. Ajunt enim Leonem Suis congressum declinare, visumque aliquando cum Sues aggredieretur, ut fetis horrentem aspexit, aufugisse. Sedenim hoc Leoni haudquaquam accidit ob naturæ dissidentiam, ut Elephanto, sed ob horrificam Suis indignati speciem, quam cogebatur exhorrescere.

## SOPHISTÆ. CAP. V.

**E**T ut, quod initio dicere cœperamus, prosequamur, sacerdotibus illi cum nihil æque abhorrent, quam inanes sophistarum nugas, & cavillosas verborum argutias, argumentorumque decipulas in naturæ viribus indagandis, ejusmodi notæ hominem per Suis hieroglyphicum significabant. Eodem intellectu apud Hebræos suilla abstinere præceptum ait Philo, admonitosque nos ea divina lege, ut sophistas evitarem, per evitabilem hujusmodi animalis impuritatem: illi enim acutissimis tantum accuratissimisque rerum distinctionibus, quod per bifidam animalis unguam interpretantur, quasi luto inhabitantes, ita illis adhaerescunt, ut inde nunquam avelli possint, sed ad extremam usque senectutem ibidem computrescunt: nam & Porci nihil illustre, nihil purum, nihil limpidum amant sed turbida tantum, spissa, fordida, & sæculenta sectantur, inque his præcipuam statuunt voluptatem.



*Suilla abstinebant Hebræi.*

*Hinc Horatius i. epist. Amica luto sus.*

*Et D. Petrus in epist. Sus in solutabro. Prob. Sus per rosas. Auctor Eudemus.*

## A BONIS MORIBUS ALIENUS. CAP. VI.

**P**ER Porcum itaque inhabitantem luto, vel ut Cratetis intellectum sequar, rosas conculcantem disperserentemque, a bonis honestisque moribus alienum hominem indicabant. Nam cum Divinus passim litera rosas, & odorata omnia ponant pro vitæ morumque sinceritate, susque ita rosas aspemetur, ut de iis, qui sinistro, pravo, maleficoque sunt ingenio dicatur, aptissimum excogitatum est hieroglyphicum, ὡς λέγεται ἰσοδωρον, quo proverbio Cratetem usum ajunt opusculo, quod γειτορίας vocavit. Quin vivere in Arabia suillum genus ullo genere posse negant, quippe cum ea regio sit odoramentorum alitrix, a boni cujusque odoris hoste merito declinatur, & ut luculentissime Lucretius:



*De rer. nat. lib. 6.*

*Denique amaricinum fugiat Sus, & timet omne Unguentum: nam fetigeris subus acre venenum est, Quod nos interdum tanquam recreare videtur. At contra nobis canum teterrima cum sit Spurcicitis, eadem subus hæc tam munda videtur, Infatiabiliter toti ut volvantur ibidem.*

Eodem spectat quod Alerter noster, Nolite, inquit, margaritas vestras ante Porcos projicere, eos qui scelerum tantum fetoribus illuvieque delectantur per Porcos intelligens, putorem quippe omnem tantam quam odorem suavissimum expetentes. Nam quod ad lutum pertinet, Ciceronis scomma est, actione in Verræ VI. Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto voluptatum totius corporis vestigiis invenimus?

*Ciceronis scomma in Verræ.*

## DISTINCTIO. CAP. VII.

**A**D hæc sciendum, unguam bifidam in Sacris literis electionis & distinctionis symbolum esse: quod apertius dicunt, cum oportere Sacerdotem monent, ut lepram a non lepra sciat internoscere, scelerum quippe differentias: justum ab injusto, & a curvo rectum, Horat. Poëta diceret.

## COGITATIO. CAP. VIII.

**R**uminatio autem, ut in Cervo dictum est, memoriam & cogitationem indicat. Utroque autem horum opus est, si recto & sapienti judicio esse volumus: præstandum quippe discernendi acumi-